

DE PRIMORDIIS CIRCARIAE HUNGARICAE ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS

Historiam Ordinis Praemonstratensis in Hungaria eiusdemque Ordinis praepositarum, partem historiae ecclesiasticae Hungaricae minime perquisitam et sane inexploratam facile dixerim. Re quidem vera materia rerum et copia uberrima non aequo studio est indagata, nec litterae hucusque iuris publici factae, quibus scriptores rerum diversa se argumento, quod supradiximus tractantes disserebant, sunt satis amplae, nec ea quidem, quae in litteris collata sunt, uberes attulerunt fruges, quum multa in his litteris invenias, quae, si arbitrio acerrimi existimatoris subiiciuntur, accurateque discussa examinentur, non ea, qua par est, historiae fide evoluta et enarrata esse reperies. Quapropter mihi proposui putum purum scriptis innitendo documentis, quae iam prius edita sunt, nec tamen a rerum scriptoribus, ut ex hisce fontibus haurirent, petita nonnulla historiae Ordinis momenta, quae usque in praesens in obscuris saeculorum visceribus abdita latebant, lumine veritatis historicae refuso pondere simulque in claro et aperto ponere.

I.

Dignitate abbatis generalis Ordinis Praemonstratensis ab anno 1209. usque ad annum 1221. Gervasius ¹⁾ ex Anglia oriundus fungebatur, qui gratia Summorum Pontificum Innocentii III., mox Honorii III. maxime florebat, interfuit Concilio Lateranensi ²⁾, demum ad sedem episcopalem de Séz evectus est.

Concilium Lateranense nihil antiquius habebat, quam ut Terra Sancta christianae reipublicae recuperaretur, cuius rei ardenti desiderio ipsum Summum Pontificem Innocentium III. teneri neminem

1) Quoad vitam eius confronta : *Lexikon für Theologie und Kirche*, IV, 488 ; *Wetzer-Welte, Kirchenlexikon, Analecta Praem.*, IV, (1928), 303.

2) Litteras, quibus invitatur : *Mansi, S. Conciliorum nova et ampl. Collectio*, XXII, 65, (Venetiis 1780).

latebat. Ad quem finem assequendum statutum est, ut cunctis beneficiis ecclesiasticis tributum — primo quidem vigesima proventuum per spatium trium annorum — imponeretur. Cuius vigesimae solvendae solummodo nonnulli ordines religiosi reddebantur immunes ³⁾, quibus adnumerabatur etiam Ordo Praemonstratensis.

Prout ex epistolarum commercio ab Hugone ⁴⁾ edito clare elucescit, abbas Gervasius Roma redux — rebus quasi praevisis — quinque exemplaria congrua documentorum huius privilegii conficienda curavit, quae secum ferret, quaeque abbatibus, qui capitulis generalibus annorum subsequentium intererant, distribuit.

Ineunte anno 1218. mense, ut videtur Februario, innotuit mandatum vicesimarum exigendarum Acuntio ⁵⁾ subdiacono, capellano Pontificio datum esse. Quum autem non ita multo post innotuisset eum privilegio Praemonstratensium, sc. immunitati tributorum, morem gerere minime velle, praepositus Varadinensis — suo et ut videtur, aliorum nomine — iuris in periculum vocati defendendi causa ad Gervasium recurrit, canonicumque quendam Ordinis Rabadonem, ad hanc rem componendam Praemonstratum misit.

Abbas Gervasius sine mora, anno 1219. responsum dedit. Obiecit « abbatibus » Hungaris, quod iam inde a quattuor annis in suum conspectum non venissent, capitulo generali non interfuissent, nec Praemonstratum visitassent, proinde sibimetipsis crimini verterent, quod petitioni ipsorum illico satisfacere non posset : etenim ultimum quoque exemplar bullarum iam a se Pictaviam (Poitiers) transmissum esse. Ut eos quodammodo consolaretur, certiores eos reddidit legatum Rabadonem a se Romam missum esse, litteris commendaticiiis ei ad quendam Cardinalem datis ⁶⁾. In hisce litteris rogat et orat Cardinalem, ut abbatibus Praemonstratensibus auxilio sit « in Hungaria, sicut credo quattuor tantummodo Abbatiae Praemonstratensis Ordinis et non plures et illae etiam satis de novo plantatae... quae tum propter turbationes Regis et regni, tum propriam paupertatem suam et impotentiam resistendi damna frequenter gravia patiuntur » ⁷⁾.

Litteras dedit etiam ad Acuntium, exactorem in Hungaria tribu-

3) Fejér, *Codex diplomaticus*, III, 1, 185.

4) Hugo, *S. Antiquitatis Monumenta*, T. I, Stivagii, 1725.

5) Theiner, *Vetera Monumenta Hungariam Sacram illustrantia*, I, 19. Litterae speciales ad archiepp. Strigoniensem, episcopum Quinqueecclesiensem et « universis praelatis per Ungariam ».

6) Hugo, *Epistola*, CXVII.

7) Hugo, *Epistola*, CXVIII, (1929).

torum. In memoriam eius redegit Praemonstratenses largiente Innocentio III. hoc privilegio, immunitate sc. tributorum auctos fuisse et hoc privilegium eis et nunc ipsum competere, quum privilegia eorum ab Honorio III. confirmata fuissent. « Cum igitur nec credam, nec credere debeam, quod pauperes Fratres et Coabbates meos, quattuor tantummodo cum locis sibi subjectis in Hungaria constitutos contra praefatam relaxationem a Sanctissimo etiam Patre nostro Honorio tertio approbatam scienter gravare velitis » ⁸⁾.

Utrum interventione Gervasii res cum successu composita sit, nec ne, parum refert; maioris tamen momenti esse videtur, quod Abbati Generali Ordinis, qui procul dubio optime informatus esse habendus est, sic erat notum:

- 1) monasteria Hungarica non esse antiqua,
- 2) quattuor tantum abbatias Hungaricas existere,
- 3) hasce abbatias esse pauperes.

II.

Series cunctorum Abbatiarum et Praepositarum Ordinis Praemonstratensis, Catalogus Ordinis, in pluribus codicibus exstat. Plures ex iis etiam prelo impressae prodierunt. Plurimum valet elenchus a capitulo generali anno fere 1320 usui officiali confectus, in quo etiam contributiones, a quibuslibet monasteriis solvendae — Taxae ⁹⁾ — referuntur.

Tunc temporis Ordo universus in triginti circarias divisus erat, inter quas Circaria Hungarica, qua 25^a consignatur. Intra fines circariae Hungaricae 39 praepositurae adnotantur; dioecesium, in quibus istae sitae erant, nomina ponuntur aequae ac nomina monasteriorum, unde primi illarum coloni deducti sunt. Tria monasteria, quae ultimo loco enumerantur, determinari non possunt; cuius filia sit abbatia Garab, erronee ponitur; assignatio vero nominis abbatis matris ad duas abbatias desideratur.

Quum ipsa ista monasteria sint eadem, quae ab abbatis Rievall (Regia Vallis) fundata esse documentis historicis fide dignis comprobatur, iure negari poterit Catalogum officialem in aliquo monasterio filiali abbatis Rievall fuisse compositum. Currente saeculi XII, altero dimidio abbatia de Rievall multis est aucta donationibus. Quapropter sua interesse ducebat, ut se utilitati suae prospiciendo,

8) Hugo, *Epistola*, CXVI.

9) Waefelghem, *Répertoire*, VII-VIII, Bruxelles, 1929.

opportunis temporibus certis temporum spatiis interjectis, in possessione bonorum noviter acquisitorum confirmandam curaret.

Anno 1161 — in litteris, quibus Henricus episcopus de Toul possessiones Abbatiae confirmat — nulla possessionum Hungaricarum fit mentio ¹⁰⁾.

Anno 1179 — in bulla Summi Pontificis Alexandri III. — iam duae filiales Abbatiae memorantur : Garáb et Francavilla ¹¹⁾.

Anno 1181^o — in litteris Summi Pontificis Lucii III. — mentio fit praeterea tertiae cuiusdam, nempe : Ecclesiae S. Stephani Regis ¹²⁾.

De abbatia Garáb ¹³⁾, de fundatore eius, deque tempore abbatiae fundatae omnia in claro et aperto sunt ; certum est, eam anno 1171^o fundatam esse a Micudino, de genere Kőkényes-Radnót, praeposito Albaregalensi, postea episcopo Jauriensi (Győr). Nullum est dubium, quin Francavilla ¹⁴⁾ intra annos 1171-1179 fundata sit.

Nomen monasterii S. Stephani Regis procul dubio ad praeposituram de Bozók spectare credendum est ; in honorem enim S. Stephani Regis in Hungaria nonnisi duo monasteria Ordinis Praemonstratensis dedicata erant, quorum alterum est abbatia de Pók, quae mediante saeculo XIII., anno 1252^o erecta est, alterum abbatia de Bozók ¹⁵⁾, quae inde ab origine sine dubio qua abbatia Ordinis S. Benedicti, inter annos 1179-1181 transiit in possessionem Ordinis Praemonstratensis. Abbatiam quartam ex illis, de quibus in litteris Gervasii praefatis sermo est, abbatiam esse Varadinensem — filiam Praemonstrati — e sequentibus clare colligitur.

III.

Fundator praepositurae Varadinensis, quae etiam praepositura de Promontorio Magnovaradiensi vocatur, inde a temporibus celeberrimi illius rerum scriptoris Hungarici, Stephani Katona, usque ad praesens Stephanus II. rex existimatur. Qua testimonium offerunt textum operis Joannis Thuróczi, quod inscribitur « Cronica Hun-

10) Hugo, *Annales*, II, CCCCVII.

11) Hugo, *Annales*, II, CCCCIX.

12) Hugo, *Annales*, II, CCCCXIV.

13) Karácsonyi János, *Ki építette az első premontrei monostort Magyarországon* (Turul, 1927, 1-3) et *Analecta Praem.*, IV, 85-88.

14) *Analecta Praem.*, VI, 363.

15) Sörös P., *Az elenyészett bencés apátságok*, 182 ; Pauler, II, 31 ; Hóman, *Magyar Történet*, I, 393.

gariae », in cuius tamen capita 63° nihil aliud legitur, nisi « Cum esset (sc. Stephanus II. rex) in articulo mortis, monachalem habitum, relicto regno suscepit : anno regni sui XVIII. et sepultus est Varadini » 17).

In Catalogo regum Varadinensi, temporibus Belae regis II. conscripto et a M. Floriano edito, eodem modo nihil de Praemonstratensibus invenitur, nisi quod ibidem legitur : « Stephanus minor Varad(ini) » sepultus jacet. 18).

Abbas generalis Gervasius mentionem fecit — scitu meo primus — canonici cuiusdam abbatae Varadinensis, Jonae 19), anno 1214°. Perinde idem abbas generalis, item paterabbas abbatae Varadinensis refert quattuor monasteria Hungarica — inter quae et Varadinense — non ita multo ante fuisse fundata.

Quodsi tamen in rebus investigandis traditionibus Ordinis insistere velis, prout quidam rerum scriptores apud nos in morem perduxerunt, ad incorruptam rerum fidem vix pervenies, quum continuas vitae circariae Hungaricae mediante saeculo XVI°. interrupta sit, elapsoque solummodo uno et dimidio saeculo revixerit. At, si quis nihilominus circa memoratum nomen « Stephani » quaestionem movere velit, tunc :

1) liquet, hoc nomen nullo modo referri posse ad S. Stephanum, etsi quaedam litterae regales, quae comprobatae historiae fidem prae se ferre videntur, tradunt praeposituram Varadinensem a S. Stephano esse fundatam 20),

2) Litteras Gervasii abbatis generalis memoratas probe noscentes pro certo habemus etiam Stephanum II. excludendum esse,

3) Simili modo excluduntur Stephanus IV. et V.

His probatis consequens est, abbatiam a Stephano III. vel saltem temporibus Stephani III. fundatam esse credatur.

Ex hisce, quae supra adumbrata sunt, res summa sic exponetur : affirmamus praeposituram (abbatiam) Varadinensem eodem ferme

16) Hoc legitur etiam in libro, qui inscribitur « Emlékkönyv », novissime edito, anno jubiliaei 800° post gloriosum S. P. Norberti obitum, pag. 19.

17) Schwandtner, *Scriptores rerum Hung.*, 1765.

18) M. Florianus, IV, 88. « De sepulchris octo priorum Hungariae regum ». Nec in ceteris Annalibus aliud reperitur... Prorsus ficta censi debet descriptio, quae apud Bunyitay legitur, *A váradi püspökség tört.*, II, 391.

19) Hugo, *S. Antiquitatis Mon.*, I, Epistola III, (1214).

20) Kereszturi, *Historia episcopatus et capituli Varad.*, I, 251. « Clastrum Praepositurae Eccl. B. Stephani Protomartiris in colle supra Varadinum per sanctissimum Stephanum primum regem Hung. illo adhuc aevo fundatum et exstructum ».

tempore surrexisse, quo ceteras abbatias ab abbazia de Rievall fundatas sc. Garáb, Francavilla et Bozók, nempe ann. 1170-1180 ²¹⁾).

IV.

Iuvat posthaec etiam de nonnullis praepositis (Abbatiis), quarum nomina iam temporibus, quae Tartarorum in Hungariam incursionem populabundam antecedunt, commemorata inveniuntur, pauca ponere.

Praepositurae de Csorna, prima vice anno 1226° fit mentio ; praeposituram de Lelesz — cuius litterae fundationales falsae existimari debent — litteris Gervasii confisi post annum 1219^{um} fundatam esse affirmamus. Nec praeposituram de Jászó ante annum 1220^{um} surrexisse opinamur : fundatorem enim eius, ducem Colomannum, ab anno 1226° titulo regis Galitiae auctum, nonnisi anno 1208° natum esse constat, proinde vix credibile est ab eo adhuc puero monasterium esse fundatum. Praepositura de Insula Leporum (Nyulakszigete) iam anno 1225 nota est, praepositura de Ság intra annos 1224-1234 fundata est. Almásmonostor solummodo ad exiguum tempus ante annum 1238 inhabitabatur a Praemonstratensibus.

Coloniae ampliores et maioris auctoritatis solummodo inde ab anno 1238° in Hungariam deduci coeptae sunt. Exstant enim litterae Belae regis IV. prelo impressae, quae usque ad nostram hanc aetatem in litteris, quae de argumentis huius generis disserentes in patria nostra editae sunt, incognitae ²²⁾ remanserunt. Vi harum litterarum Bela rex IV. eisdem privilegiis Praemonstratenses in Hungaria auctos esse voluit, quibus idem ordo in Gallia fruebatur, simulque indulsit, ut Praemonstratenses in regnum Hungariae immigrantes una cum familia et omnibus facultatibus suis vectigalium immunes fierent. Non amplius exstat prototypum harum litterarum, e textu vero prelo impresso satis superque mendose scripto constat, editionem hanc sive e prototypo, sive ex exemplare descriptam esse, descriptoremque eius generis scribendi cancellariae Hungaricae minime fuisse peritum.

21) Pázmány quidem asserit : « In dioecesi Varadinensi : Praepositura S. Stephani Protomartiris de Promontorio Varadiensi. Fuit primum Coenobium huius Ordinis in Hungaria » (Appendix, II, Attamen ad opera, quae a Pázmány afferuntur, et quibus usus est, accessus mihi non patuit. Optica et Layruels : Commentarii).

22) Le Paige, *Bibliotheca Praem. Ord.* Paris, 1633, 761-762. Exemplar Bibliothecae Nationalis Vindobonensis mihi usui fuit. Conf. Hugo, *Annales*, I, 22.

Exemplum litterarum — mendis non correctis — hoc est :

Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Galicae (!), Lodomiae (!), Cumamaeque (!) Rex. Notum fieri volo tam praesentibus, quam futuris, quod ad petitionem dilectissimorum Abbatis Praemonstratensis, universorumque Abbatum, Praepositorum, Priorum et Canonicorum eiusdem Praemonstratensis Ordinis, omnibus eiusdem ordinis Claustis, quae constructa vel construenda sunt in Regnis, meae Jurisdictioni subjectis, propria benignitate indulsi, ut ea libertate in tota terra mea utantur, quam in Francia obtinere noscuntur. Indulsi etiam eisdem, ut ubi Regni mei turbatio impedierit, liceat eis, qui noti fuerint in eisdem Claustis et per eos etiam ignotis Canonicis vel conversis cum servientibus eorum libere ingredi et egredi, cum cessitas (!) eorum exegerit. Datum Budae per manus magistri Stephani aulae Regiae Cancellarii, praesentibus Hugolino Colocensi Archiepiscopo, Bartholomaeo Quinque Ecclesiensi (!), Gregorio Jauriensi (!), Bartholomaeo Vespriensi (!), Matthia Vaciensi (!), Postulorto (!!), Stringionensi (!), Stephano Zagabriensi (!) Episcopis, Benedicto Praeposito Budensi et Aulae Regiae Vice-Cancellario et caeteris quampluribus Regni mei proceribus, Anno gratiae millesimo ducentesimo octavo, Calendis Martii, Regni autem mei tertio.

Correctis iis, quae certissime menda in describendo commissa esse constat, litterae nec in tali forma pro documento e cancellaria regia oriundo habendae sunt. Singulare est, quod formulae, quae in exordio et exitu litterarum adhibentur, genus scribendi aetati Belae regis IV. proprium redoleant, partes vero textus decretalis — rex in prima persona loquens etc. — modum scribendi aetatis Belae regis III. clare manifestent.

Quod tamen magis mirandum est, exstat et aliud diploma, quo argumentum consimilis naturae continetur, cuiusque partes decretales plane iisdem verbis sunt exaratae. Hoc diploma instante Abbate generali Ordinis Cisterciensis anno 1183° a Bela rege III. editum, aequè ad illud, quod supra memoravimus, typis mandatum superest ²³⁾. Exempla amborum diplomatum paralela hic exponuntur :



1183

notum fieri volo praesentibus
et futuris, ad ad petitionem...
omnibus claustris Cisterciensis

1238

notum fieri volo tam praesenti-
bus, quam futuris, quod ad peti-
tionem... omnibus eiusdem ordinis

²³⁾ Editio : Fuxhoffer-Czinár, *Monasteriologia*, II, 94; Békefi, *A pillisi apátság története*, 126.

ordinis, que constructa aut construenda sunt in regno meo, me propria benignitate indulsisse, ut ea libertate in tota mea terra utantur, quam in Francia obtinere noscuntur. Indulsi eciam eisdem, ut ubi regni mei turbatio non impederit, liceat eis, qui noti fuerint, in eisdem claustris et per eos eciam ignotis monachis vel conversis, cum servientibus eorum libere ingredi et egredi, quum necessitas eorum exegerit.

Claustris, quae constructa vel construenda sunt in Regnis meae Jurisdictioni subjectis, propria benignitate indulsi, ut ea libertate in tota terra mea utantur, quam in Francia obtinere noscuntur. Indulsi etiam eisdem, ut ubi Regni mei turbatio (non) impederit, liceat eis, qui noti fuerint, in eisdem Claustris et per eos etiam ignotis canonicis vel conversis cum servientibus eorum libere ingredi et egredi, cum (ne)cessitas eorum exegerit.

Contra contextum diplomatis anno 1183° editi, Fejérpataky ²⁴⁾ nihil opponit, adnotat tamen : qua forma fide digna hic textus ad nos pervenerit, nescitur. Szentpétery ²⁵⁾ quoque censet : argumentum eius procul dubio historiae fide dignum esse.

Quoad diploma Cisterciensibus anno 1183° datum adnotat Szentpétery : id fortasse ab ipsis Cisterciensibus exaratum fuisse et a Bela rege III. solummodo diploma iam confectum sigillo munitum esse.

Ex usu familiari, qui inter Cistercienses Gallicos et Praemonstratenses similiter e Gallia oriundos decursu saeculorum XII-XIII. intercedebat, facile perspicitur fieri potuisse, ut Praemonstratenses diploma anno 1183° editum a Cisterciensibus sibi tradendum curaverint, descripserint. Quod mirum non est, quum ad eundem ipsum finem facultatem sibi dandam petierint ac obtinuerint. Clarum est in textu diplomatis, solummodo ibidem ab iis inductas esse verborum mutationes, ubi aliquantula huiusmodi commutatio diversitate naturae rerum utique exigebatur.

Abbas generalis Ordinis Cisterciensis ipse coram aderat in Hungaria, quo factum est, ut illius, necnon omnium eorum, qui eum comitabantur, nomina diplomati insererentur. Hugo, abbas generalis Praemonstratensium sui ipsius ac Ordinis sui nomine petitionem privilegii obtinendi gratia non praesens, sed scriptis mandatum substernebat.

24) Fejérpataky, *Diplomata Belae regis*, III, (A III, Béla m. kir. Emlékkönyv 153).

25) Szentpétery, *Regesta*, 137.

In contextu diplomatis Cistercienses seipsos monachos, Praemonstratenses vero Canonicos appellant.

Nullam debet suspicionem movere titulus regis, nec annus, quo diploma editum esse signatur, neque ea res, quod extra cancellarium, editorem diplomatis nuncupatum, inter procures ecclesiastici ordinis occasione editionis praesentes etiam vicecancellarii mentio fit.

Econtra Robertus archiepiscopus Strigoniensis non prius, quam mense Novembri anni 1239 vivis cessit. Mathias episcopus Vaciensis solummodo inde a die 6^a Martii anni 1240¹ factus est archiepiscopus Strigoniensis, ergo solummodo inter mensem Novembrem anni 1239¹ et Martium anni 1240¹ erat postulatus.

Inde a petitione substrata Abbatis generalis ad editum diploma longum temporis intervallum intercessisse videtur; quod quidem illis temporibus saepenumero accidisse nemo ignorat; unde liquet in hoc diplomate exemplum haberi temporis editionis diverse sub-signati.

Ceterum probe scimus eventibus subsequenter decennii probatum fuisse hoc diploma fide historica dignum esse.

V.

Aetate incursum Tartarorum subsequenti continuo surgunt novae, recentioresque praepositurae. Exeunte saeculo prope iam 30 numerantur nec desunt aliquot coenobia virginum ordinis, de quorum tamen fundatione nihil certi scitur. Ex illis componitur Circaria Hungarica, cuius ratio vivendi patriis et officio « locorum credibilium » — quod munus vi legum regni obibant — caractere specialiter Hungarico insignita est.

HORVATH Tibor Antal.